

Franz Albert Aepinus

**Ad Solennem Et Inauguralem Disputationem Theologicam, Qua Modum
Praedicationis Paulinae Per Exegesin Dicti I Cor. II. 4. 5. Sistit Vir ... Dn. M. Petrus
Christianus Kaempferus**

Rostochii: Adler, 1749

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840980302>

Druck Freier  Zugang





a. B.
48. b. 31.

55

428

Fa 1092 (55.)

1. Nakhmacher, de discrimine inter praeparationem euangelicam et euangelii demonstrationem
2. Braun, de iura Maugul nuno rishignu forubuisd nuna iuuful, Sign Dush sin.
3. Jacobi Anthropomorphismus a vera notione immensitatis, sapientiae, libertatis, atque aeternitatis diuinae remotus.
4. Lange, religiosam natalis Domini celebrationem.
5. Treller, de vino modico hypochondriacis salutaris ad sacrum locum Thimoth. 5. 23.
6. Quistorp, de adoptione ecclesiastica veteris Testamenti.
7. Carpow, de regis Iesaias Prophetas natalibus.
8. Hartmann, argumenta, de satisfactione Christi, pro impenitentia finali praestita, negantia.
9. Hartmann, ideam generalem unice verae religionis ex scriptura sacra, et specialiter ex Rom. 12., 1. 2. euoluentis etc.
10. Hartmann, ideam generalem unice verae religionis ex scriptura sacra, et specialiter ex Rom. 12., 1. 2. euoluentis sectionem exegeticam posteriorem etc.
11. Hartmann, argumenta, de satisfactione Christi, pro impenitentia finali praestita, negantia.
12. Hartmann, de satisfactione Christi, pro impenitentia finali praestita.
13. Pries, de officiis Christi nonnulla momenta generalia sistens.
14. Stepinus, de directorio corporis euangelicorum.
15. Pries, de Prophetis et apostolis salua inspiratione diuina.
16. Stepinus, demonstratio existentia diuina ex scriptura sacra.
17. Carpow, de verbis Davidis, maledicentiam simeiticam concernentibus: 777 55P 17 72 א יהוה י רב. 2 Sam. 16. 10.
18. Halman, de 5ε γαρω ε; ακανδωv. corona de spinis. Matth. 27. 29.
19. Halman, de 5ε γαρω ε; ακανδωv. corona de spinis. Matth. 27. 29.
20. Quistorp, de peccato originis.

- 21., Quistorp, de fide Dei opere, Joann. 6. 29.
- 22., de Marie, de explicatione Joann. 14. 23.
- 23., Hartmann, de Jesu Nazareno vero Messia.
- 24., Mangel, de significatione vocis Susdaimonia in Novo Testamen-
to ad illustranda loca Act. 17. 22. c. 25. 19.
- 25., Pries, de non consumatis partibus Veteris Testamenti ex Epist.
ad Hebr. 11. 39. 40.
- 26., Sasse, de Christo, et sacerdote et victima in omnium salutem.
- 27., Raempfer, de modo praedicationis paulinae. 1 Cor. 2. 4. 5.
- 28., Quistorp, de Judaeis corde compunctis. Act. 2. 37.
- 29., Carpon, de Jonae visionibus etc.
- 30., Hartmann de vaticinio Simeonis. Luc. 2. 34. 35.
- 31., Riederer, Ein überaus seltsam Reformationswunder.
- 32., Riederer, Anhang zu dem Reformationswunder.
- 33., Engel, de rationibus consequentiae immediae.
- 34., Mayohl, de angelorum corpore proprio.
- 35., de dono Spiritus Sancti. etc.
- 36., Vittenzwey, anti-blanchiana.
- 37., Heinius, de auctore et causa stragis Aegyptiorum tempore Ege-
chiae Judaeorum regis ad Illustrationem Jesaiae c. 37. 36.
- 38., Reuß, de gratia Spiritus Sancti applicatae in genere.
- 39., Nahmmacher, de introductione in septem epistolas catholicas
lectio tertia.

AD
SOLENNEM ET INAUGURALEM
DISPUTATIONEM THEOLOGICAM,
QVA
MODVM PRAEDICATIONIS
PAVLINAE,
PER EXEGESIN DICTI I Cor. II. 4. 5.
SISTIT

VIR PLVRIMVM REVERENDVS, AMPLISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS,
DN. M. PETRVS CHRISTIANVS
KAEMPFERS,

PHIL. PRIMAE, QVAE DICITVR, I METAPHYS. PROF. PVBL. ORD. CELEBER-
RIMVS, AD AEDEM D. MARIAE VERBI DIVINI MINISTER
OPTIME MERITVS,

DEO T. O. M. CLEMENTISSIME BENEDICENTE,
PRO IMPETRANDIS DOCTORIS THEOL. GRADV,
DIGNITATIBVS AC PRIVILEGIIS,

D. IO. MENSIS APRILIS ANNI MDCCLXIX.
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS IN AVDITORIO MAXIMO

PVBLCO EXAMINI SVBICIENDAM,
MAGNIFICVM AD H. A. DN. VICE-PRO-RECTOREM,
PER ILLVSTRES AC ILLVSTRES AVLAE REGIMINISQVE DVICALIS PROCERES,
DNN. CONSILIARIOS ATQVE MINISTROS, ACADEMIAE PARITER ACCIVITA-
TIS SENATVM AMPLISSIMVM, PRAENOBILISS. FCTATVM OMNIYM DOCTO-
RES ATQVE LICENTIATOS, PLVRIMVM REV. PRESBYTERIVM, PRAE-CLARISS.
ARTIVM ET PHIL. MAGISTROS, LECTISSIMAM GENEROSORVM NOBILISSI-
MORVMQVE STUDIOSORVM COHORTEM, ET QVOS LIBET ERVDITIONIS
THEOLOGICAE FAVTORES ATQVE CVLTORES, SVIS SINGVLOS
HONORVM TITVLIS CONSPICVOS,
TAM REV. ORDINIS THEOLOGICI, QVAM SVO NOMINE,

QVA DECET
OBSERVANTIA, OFFICIOSITATE AC HVMANITATE
PVBLCO HOC PROGRAMMATE

INVITATOS ATQVE ROGATOS VVLT
FRANC. ALBERT. AEPINUS,
S. TH. D. PROF. DVC. PVBL. ET CONSIL. CONSISTOR. COLLEGII DVC. PROF.
ET FCTATIS SENIOR, AD ACTVM HVNCCE DECANVS.

ROSTOCHII, Typis IOH IAC. ADLERI, ACADEM. Typographi.

Rationis & Philosophiae varium in sacrarum Literarum atque Theologiae Studiis & usum & abusum dari, proque diversitate applicationis earum emergere posse, neminem, opinor, fore, qui temere sit inficias iturus. Apud omnes enim id in confesso est, tanquam dudum non agnitum solum, verum etiam evictum, adeo ut, qui vel solam in utramque partem, quae hactenus ea de materia in publicum prodire, Scriptorum recensitionem instituere aggredere, non exiguae molis catalogum eorum contexere, pluresque chartae plagulas iisdem implere posset. Non autem animo nunc fedit, quem Studiis sanctioribus Ratio & Philosophia, sobria si fuerit suisque limitibus circumscripta ac convenienter applicata, praestare queat, insignem usum, contra varios illius osos ac obtrectatores diversorum generum asserere, aut commendare, multoque minus eundem peculiariter, singulas per Scientias eundo, commonstrare, quod ab aliis compluribus abunde tam in genere, quam in specie factum, nisi quis rei litterariae penitus ignarus fuerit, latere neminem potest. At vero, non minorem etiam in sacra de rebus divinis doctrinae Rationis & Philosophiae abusum deprehendi, haud magis ignotum est, ni solis iis, qui se in Historiae Literariae Ecclesiasticae studio plane hospites profitentur. Equidem enim tot errorum ac errantium in Theologia causa, si non omnis, saltem potissima & prima, existit, praeter Rationis in eadem atque Philosophiae abusum? Non equidem diffiteor, haud raro voluntatis etiam connatam perversitatem ad errores in doctrinam caelestem invehendo, vel in ea minimum tuendos atque defendendos concurrere; originarie tamen eos a corrupta Ratione proficisci & velut excludi, sicut & in intellectu, formaliter spectati, sedem suam habent, asserere, non dubito, licet tam antecedenter, quam consequenter, ad illos suam voluntas quoque conferat. Quod enim aliqui haeresin (quidni & errores omnes?) formaliter in voluntate dari, contendunt, aliis nonnullis hinc etiam inter haeresin theoreticam sive dogmaticam, & practicam distinguendis, id nimis Fanaticismum ac indifferentissimum sapit. Quamobrem rectius, Apostolo *Tit. III. 10. 11.* praeeunte, communiter haeresis in Theologia describitur per errorem, circa fundamentalem quendam doctrinae fidei articulum, pertinaciter defensum. Ut eam in intellectu, cujus est

est ratiocinari, formaliter existere, accedente dein, tanquam illius ad-
iunctum, pertinacia voluntatis, intelligatur. Hinc Rationis &, ab ea
quæ dependet, Philosophiæ varium in sacrarum Literarum atque The-
ologiæ studiis, sicubi perperam applicantur, dicimus, abusum esse.
Quando nimirum homines infinitum illud ens, DEum & essentialia
illius attributa, non finitæ solum, sed & naturaliter corruptæ, rationis
suæ captu se comprehendere, ac omnes ejus perfectiones infinitas ve-
lut exhaurire posse, sibi persvadent ac imaginantur, non fieri non pot-
est, quin varias in erroneas, imo & absurdas, de cœlesti Numine cogi-
tationes ac opiniones prolabantur. Quod posterius tum maxime con-
tingit, eoqve graviolem atque pejorem menti hominum ingenerat er-
rorem, quando sensus etiam unâ in consilium vocantur. Ex eo nam-
que crassior exoritur idololatria, quæ invisibilia & gloria immortalis
DEI in similitudinem imaginis non solum mortalis hominis, verum
etiam volatiliæ, & quadrupedum, & reptiliæ mutantur, ut, neglecto,
quem ex operibus ejus cognoscere poterant, vero DEO, in cogitationibus
suis vani facti, veritate DEI in mendacium transmutata, creaturam colerent
ac ei servirent, præter Creatorem, qui est benedictus in secula. De quo gra-
viter Paulus, habito non Gentilium solum, sed etiam ex parte Judæorum i-
psorum (conf. 1 Reg. XII. 26. sq. 2 Reg. XVII. 7. - 24.) respectu, conquestus
legitur Rom. I. 19. - 29. sicut & Atheniensium idololatriam quam soli-
dissime refutavit Act. XVII. 22. - 30. At vero de hoc circa DEum di-
vinasque res errore crassissimo prolixius, vel ex instituto heic agi, pro-
positum nobis non est, sed ostendisse sufficiat, rationem eo facilius ad
errores in Divinis proclivem esse, quo subtilius ipsi vel arctius cum sen-
sibus vinculum atque commercium est, quare sæpius ab illis, utpote cir-
ca materialia duntaxat objecta versantibus, & ea ipsa decipi, atque ad
perversa de rebus, præsertim divinis, judicia ferenda seduci potest.
Rationem autem, etiam in illius a commercio sensuum abstractione,
a vero rectoque crebro aberrare, tristis condocet experientia: quapro-
pter & istius in doctrina de rebus divinis abusus varios exoriri posse,
dubio carebit. Imo vero hoc ipsum Ecclesiam Christianam mox ab-
inde, cum a Domino supremoqve suo Pastore, Christo, fundata esset,
ac Apostolorum opera plantata, non experiri tantum, sed & deplorare
oportuit. Nam ea ipsa tempestate jam, viventibus adhuc Apostolis,
qui ratione & ex eadem ortum ducente Philosophia perperam abu-
terentur, surgebant. Quamobrem Paulus inter Apostolos imprimis

(a 2)

ad

ad Christum & ejus Ecclesiam conversos contra hunc rationis atque Philosophiæ abusum munit; ut ab eodem vanaque fraude, juxta traditionem hominum & non secundum Christum, sibi caveant, hortatur, *Col. II. 8.* spiritualibus armis destruendas esse munitiones & omnem celsitudinem, quæ extollitur contra cognitionem DEI, atque captivam ducendam omnem cogitationem in obedientiam Christi, *2 Cor. X. v. 4. 5.* docens. Deinde cum & Philosophi quidam, e Platoniorum Scholis partem majorem egressi, Christi se jugo submittentis doctrinam ejus amplecterentur, conjectu facile est, illos non pauca, quibus adfuerit fuere, dogmata retinuisse, atque cum sacra doctrina eorum tentasse commixtionem, quemadmodum in ipsis veterum Ecclesiæ Doctorum Scriptis istius Philosophiæ reliquiæ vel vestigia hinc inde reperiuntur. Cum primis per omnia fere secula Rationis & Philosophiæ ingens abusus apud mysteriorum diuinorum in sacris literis revelatorum impugnatores ac Anti-Trinitarios deprehensus fuit. Id quod haud dubie Philosophorum hæresum autores & hæreticorum patriarchas appellandi dedit occasionem. Sed missis antiquis illis dudum præteritis temporibus, de nostro hoc, in quod Divina providentia nos reservavit, Seculo quid dicendum erit? Equidem nil quidquam aliud, quam pacatus atque tranquillus Ecclesiæ status, quam omnium in revelata de rebus divinis doctrina consensus ac concordia, magis optandum est: at vero, quæ est implacabilis ille Christi & Ecclesiæ hostis malitia, nunquam unquam, ad vsque mundi finem, intermitter, in hoc agro Domini zizania inter triticum spargere, atque dissensus & discordiæ semina inter eum colentes disseminare. Ad quam intentionem in effectum deducendam, præter Rationis & Philosophiæ in sacrarum Literarum & ex iis haustæ Theologiæ studiis abusum, aliud aptius aut accommodatius vix invenire medium potest. Quanto plus enim autoritatis mortalium ingenia Rationi suæ, licet corruptæ ac obtenebratæ, tribuunt, quanto firmiter suarum præconceptarum opinionum fundamentum in universalibus istis communiqve consensu probatis axiomatibus regulisque philosophicis, male quantumlibet applicatis, quæerunt, ac invenisse se, gloriantur, tanto magis revelato nobis in Scripturis sacris Verbo DEI detrahunt, lites hoc pacto ferentes, & quod omnium pessimum, explicationes sacrarum Literarum anticipatis suis opinionibus ac præjudiciis accomodantes, misereque torquentes. Nolo jam, quæ nobis cum Socinianis, quicquid est mysteriorum divinarum, pertinaciter negantibus, & magnam quoque par-

partem cum Calvino Reformatis, adstipulantibus iis Pontificiorum etiam nonnullis, cum primis Jesuitis, vel hodiernum intercedunt, controversiarum facere mentionem. Quas ex Rationis & Philosophiæ in Sacris abusu profluxisse, eidemque suam originem debere, nemo diffitebitur, nisi quis eas ipsas penitus ignoraverit. Non enim Rationem suam sub obedientiam Christi, seu Christianos decet, coactam & subiectam volunt, sed eam ita potius extollunt, ut Verbo divino superior & existimationis majoris habeatur, nonnullis eo impudentiæ progressis, ut & Rationem Verbum supernaturaliter a DEO revelatum interpretandi normam constituere non verecundentur, quemadmodum improbum illud Scriptum sub titulo: *Philosophia S. Scripturae Interpres; Exercitatio paradoxa, in qua, veram Philosophiam infallibilem S. Literas interpretandi Normam esse, apodictice demonstratur*; unice hunc directum in finem pessimum est. Sed ex nimia quoque Rationis & Philosophiæ aestimatione Naturalismus, quin etiam Indifferentismus Religionum, uterque Christianæ Religionis valde noxius, minorem illi dignitatem atque ad salutem æternam necessitatem tribuens, propullularunt, de quibus, si circumstantiæ permitterent, plura dicenda forent, quæ vero aliis latius deducenda committere, nobis impositam intelligimus necessitatem. Interim vel ex iis clarum est, maximum Rationis & Philosophiæ abusum esse, quando supra cognitionem DEI e Verbo revelato capiendam extollicur, utraque suos protenditur limites, & captus sui spheram excedit. Quo plus enim virium Rationi tribuitur, atque Philosophiæ, eo majus detrimentum affertur, eoque minus existimationis divinitus revelatæ relinquitur Theologiæ. In quo nunc etiam in ipsa nostra Ecclesia Evangelico-Lutherana subinde a nonnullis peccari, dolendum est. Postquam enim quam multis adamata methodus illa demonstratiua, seu vocant, Mathematicorum more probationes suas disponens, plurimum animis semet insinuavit, ac in Disciplinis tradendis usurpari cœpit, illico fuerunt, qui & in Theologiam revelatam eam introducere conarentur, Rationis & Philosophiæ in eadem abusui sic occasionem daturi. Nam diffidendum non est, nostra hac ætate Rationi & Philosophiæ justo plus ab aliquibus adscribi, quin nimio opere laudibus efferri, & vel ipsi Scripturæ S. nonnunquam præferri videatur. Absit a nobis longissime, Rationem omnem e Theologiæ revelatæ systemate prorsus eliminandam censerem, aut genuinum in eodem Philosophiæ usum, tanquam plane rejiciendum, improbari. *Novimus quippe, Rationem eximium, quo di-*

vina benignitas nos homines, præ brutis animalibus ornatos, donavit, donum, & Philosophiam veritatis salutiferæ doctrinæ tum tradendæ, tum concipiendæ, tum & defendendæ, adminiculum, imo medium, vel instrumentum esse, quo & ipsimet sancti DEI homines suis in Scriptis haud raro usiprehenduntur. Tantum igitur abest, ut Rationem & Philosophiam e campo Theologiæ revelatæ, rejectam & eradicatam velimus, ut potius initio statim commentatiunculæ hujus non levem, sed insignem illius inibi usum dari, confessi simus, idemque, quoties occasio fert, Auditoribus nostris inculcare sueverimus. Et ἰσὸν παιδείας, sive methodum uniuscujusque Doctorum arbitrio committi debere, in propatulo est, & in confesso, modò non exinde discentium ac auditorum animi falsis imbuantur opinionibus. Sit itaque, quemadmodum est, maneatque legitimus suisque terminis circumscriptus in Theologia revelata Rationis & Philosophiæ usus: at abusum ejus in illa, quodque nimium quantum, & vel supra divinam revelationem, efferatur, non damnare non possumus. Talismodi Rationis abusus est, cum quis, jactata sua methodo demonstrativa nixus, quælibet divinitus in Verbo revelata mysteria divina Ratione sua exhauriri posse, sibi persuasum habet, quasi nulla darentur mysteria in se & absolute, sed relative tantum talia, i. e. eorum duntaxat respectu, quorum Ratio eo usque non porrigitur, ut ipsa comprehendere valeant. Ex quo quid aliud sequi poterit, quam quod Revelatio minoris æstimanda sit, & minus necessaria, quod omnem Scripturæ S. habendam fidem ex animis hominum facile tollere, ut non dicam, eos ab illius, toties nobis tamque graviter inculcata, lætione studiove abalienare ac avertere potest. Alii ex adverso Ratione abutuntur, quando secundum ejus menturam ac amissim mysteria divina metiri atque dijudicare audent, nihil in iisdem credendum relinqventes, nisi quod suis, de quibus gloriantur, novis inventis ac hypothesebus, vel, uti loquuntur, principiis rationis sufficientis, congruum atque cum illis conspiraret. Unde nil aliud sequitur, quam nihil esse credendum, quod Ratio, quæ tamen corrupta & in divinis cæca ac obtenebrata, non capiat. Nam & clarissima S. Scripturæ pronuntiata falsis suis interpretationibus & exceptiunculis, cujuscunque sint indolis, obscurare nituntur, patefactæ de cælo veritatis temeratores, Adversariis nostris arma, quibus nos oppugnent, velut in manus tradentes. Verendum autem est, in illos ne quadreret, olim id agnituros, Paulinum istud estatum, *Rom. I. 22.* Verum non in dogmaticis solum Ratione

ac

ac Philosophia abutuntur hujusmodi Methodistæ, sed inter eos eo usque nonnulli progrediuntur, ut in sacris etiam ad populum habendis sermonibus Ratione, quasi necessariò & fundamenti loco, utendum esse, ducant, conciones suas humanæ sapientiæ, ad quam & ista methodus demonstrativa referenda, magis, quam Scripturæ, verbis, ceu putant, exornantes, vel potius deformantes. Etiam in ejusmodi orationibus ecclesiasticis Rationem nonnunquam haud inutiliter adhiberi posse, nequam diffirebimur; veruntamen non raro eandem etiam ita heic applicari, ut in abusum degeneret, neminem rem rectius pensitantem diffessurum esse, confidimus. Cogitandum etenim est, majorem in talismodi cæterum congregatorum Auditorum partem homines simpliciores & indoctos, sensibus per habitum exercitatis destitutos, constituere, quorum præsertim in gratiam conciones habentur, quorumque captui atque simplicitati semet in docendo Concionatorem accommodare oportet. Qui vero tam subtilis methodi & argutiæ rationis incapaces, parum utilitatis ac ædificationis ex auditis percipiunt, intrantes atque exeuntes, ut cum B. Luthero loquamur, neילו doctiores aut meliores facti. Quodque potissimum, nescio certe, numne tales qui sunt Concionatores suis, vix plurimum phaleratis fucatisque, dictis atque humanæ sapientiæ plus virtutis & efficaciam adscribant, quam simplicitati Verbi divini? immemores, Evangelium de Christo potentiam esse DEI ad salutem omni credenti, Rom. I. 16. proindeque fidem nostram non in sapientia hominum, sed in virtute DEI fundatam esse nitique debere. Quibus igitur Paulinam in docendo populo simplicitatem commendatam velimus, cum frequentiori lectione pariter ac meditatione Capituli II. prioris ad Corinthios Epistolæ, utpote in quo semet Apostolus velut exemplum sistit, Concionatoribus in tradenda doctrina Evangelica sollicite imitandum. Id quod probe pensitans, quem proximi mensis Aprilis dies decimus in Cathedram produceret, Candidatus noster, Vir plurimum Rev. Ampliss. atque Doctiss. Dn. M. PETRUS CHRISTIANUS KÆMPFERUS, Metaph. Prof. Publ. Ord. Celeberrimus, ac in æde heic loci Mariana Verbi Divini Minister merentissimus, habito utriusque, quod gerit, officii sui respectu, præ aliis laudatissimus, quæ dicitur, Disputationis materiis ipsi propositis, mox dictum Caput, & ejus præcipue v. 4. & 5. eligere maluit, quos Exegetis tantum, hac vice, illa straret, propter incumbentes sacros & imminentes plures festivos labores Ecclesiasticos, reliquis, quæ ad Theologiam Dogmatico-Polemicam, Moralem
item

item ac Casuisticam, ullo modo spectant, alii reservatis occasione. More vero in Academiis recepto, Candidati hujus nostri vitae, quam DEI gratia haftenus quam laudatissime peregit, factorumque curriculum jam nunc describerem, nisi, prout ipsemet illud mihi exhibuit, cum benevolis Lectoribus id ipsum communicare liceret. Cujus itaque propria de eo verba hic legenda sulto.

Ex voluntate, scribit Summe Reuerendae Facultatis Theologicae dum vitae meae curriculum commemorare ingredior, in theatro prouidentiae diuinae mihi videor versari. Ab ineunte enim aetate plane singularia prouidae DEI curae documenta in me du- cendo, protegendo & adiuuando sum expertus. Ego vero A. O. R. MDCCII. die 13. Nouembris suauissimam huius vitae lucem primum adspexi. Pater mihi exstitit, iam dudum inter coelites triumphans, DN. IOANNES **Kämpfer**, Lubecensis, in Parochia Oedeskirchensi, vel, ut nomine magis recepto utar, Dreueskirchensi, vrbi Wismariae vicina, verbi diuini minister. Mater autem mihi fuit Dña. BARBARA ELISABETHA **Plesingen**, filia Dn. PETRI **Plesingen**, qui in eadem Parochia B. Genitoris mei in sacro officio antecessor fuerat. Quod si mens mea tenerrimae aetatis memoriam recordatur vltimam, non possum non grato semper pectore agnoscere beati Parentis mei amorem, curam ac diligentiam plane singularem, qua ipse ad veram in DEVM pietatem & eas litteras, quibus aetas puerilis informari solet, dux mihi exstitit optimus & fidelissimus. Post indulgentissimi Parentis mortem, quae in annum MDCCXII. incidit, frater meus natu maior, DN. VLRICVS IACOBVS **Kämpfer**, iam in oppido Lübitz Ecclesiastes optime meritus, in litteris, quas humaniores vocamus, per annum & sex menses iter mihi praeiuit, omnemque in me informando nauauit operam. Vt autem in incepto litterarum itinere progrederer, anno MDCCXIV. in scholam missus sum Wismariensem florentissimam, in qua DN. TANCKIUS, Sub-Rector, DN. WIETZIVS, Con-Rector, & DN. IOANNES KINDLERVS, Rector, tunc in perpoliendis iuuenum ingeniis honestissima quadam aemulatione concertabant. Wismaria autem, anno MDCCXV. obsidione clausa, mihi erat relinquenda, ne dubios belli euentus experiri necesse haberem. Ex voluntate dilectif.

Etissimae Matris meae, tunc adhuc superstitis, & aliorum quorundam consilio, missus Ribnitzium, per biennium a Viris, scholae ibidem praefectis, DN. VOLCKMANNO, DN. SCVLTEO, praesertim autem a DN. CAPOBO, Rectore, sum institutus. Repetii anno MDCCXVII. Wismariam, obsidione tunc liberatam, & in schola, ibi florente, litteris, quae humaniores vocantur, usque ad annum MDCCXX. imbutus sum. Cum ex Praeceptorum meorum aliorumque doctorum virorum iudicio in elegantiorum litterarum studiis eos fecissem progressus, vt cum fructu possem maiora auspiciari, Academiam salutavi hance Rostochiensis, & Rectore Magnifico DN. IOACHIMO HENRICO SIBRANDO, I. V. Doctore & Institutionum Professore Publico Ordinario, & postea Regii, quod Wismariae floret, Tribunalis Adfessore Excellentissimo, anno post *εσαρκωσιν του λόγου* MDCCXX. die 12. Aprilis in numerum ciuium academicorum sum receptus. Quibus scientiis per sex annorum spatium in hac Alma Varo-Balthica operam dederim, praelectiones Praeceptorum meorum, a quorum ore pependi, iam ostendent. (I.) In studio linguae hebraicae DN. M. HERMANNVS TARNOVIVS, iam inter coelites triumphans, non solum fundamenta mihi dextre inculcauit, verum etiam in Collegiis Lectorio-Accentuatoriis ad maiores in hac lingua profectus consequendos mihi profuit. (II.) In studiis, ad Historiam, Genealogiam & Artem Heraldicam spectantibus, ducem habui fidelissimum DN. CAROLVM IOACHIMVM SIBETH, tunc Philosophiae Magistrum, cum adplausu priuatim heic docentem. Hic post varias in officio tam scholastico, quam ecclesiastico mutationes, deinceps Theologiae Doctor, Gedani ad aedem Mariae Pastor primarius, & Reuerendi Gedanensis Ministerii, Augustanae Confessioni Inuariatatae addicti, Senior merittissimus exstitit, & superiori anno mortalem vitae conditionem cum immortalitate commutauit, magnumque sui desiderium reliquit. (III.) Nunc venio ad eum studiorum meorum formatorem, qui in vario scientiarum ac eruditionis genere pulcerrimos & vtilissimos disciplinarum fontes mihi reclusit. Erat is ipse hodiernus Promotor meus, & SERENISSIMI atque MAGNIFICENTISSIMI Academiae huius CANCELLARII, DOMINI NOSTRI LONGE CLEMENTISSIMI, gratiosissime constitutus ad hunc actum

(b)

PRO-

PRO-CANCELLARIVS, Venerandus DN. FRANCISCVS ALBERTVS ÆPINVS, Philosophiae & SS. Theologiae Doctor, huiusque Professor Ducalis Publicus Ordinarius, Facultatis Theologicae Senior Venerabilis, ac Consistorii Ducalis Consiliarius & h. t. Director meritissimus, cui DEVS senectutem vegetam, & extentum vitae spatium clementissime largiatur. Quanta animi mei voluptate, & quanto cum fructu ego academicis huius Venerandi Praeceptoris mei praelectionibus per sex annorum spatium interfuerim, dicerem, si alio loco verba mihi essent facienda. Nunc mihi sufficiat recensum agere praelectionum istarum, ex quibus mihi licuit in studiis meis progressus facere. Hunc Praeceptorem meum, Summe Reuerendum DN. D. ÆPINVM, audiui 1) exhibentem in Collegio quodam methodum studia rite tractandi; 2) explicantem singulas Philosophiae partes, quas Ipsius Introductio in Philosophiam complectitur; quibus accesserunt lectiones in Compendium Metaphysicae, ad Theologiam applicatae, & Collegium Logico-Practicum: 3) tradentem lectiones Theologicas in Theologia Thetica, Polemica, Morali & Exegetica, nec non lectiones Oeconomico-Biblicas, & explicationes Librorum Symbolicorum. 4) Interfui etiam Ipsius Collegiis Examinatoriis & Disputatoriis in B IOANNIS FRIDERICI KOENIGII, Theologi etiam post fata celeberrimi, *Theologiam Positiuam Acroamaticam*, nec non in *Mataeologiae Fanaticae recentioris Compendium*, in quo is ipse Praeceptor meus colendissimus IOANNIS CONRADI DIPPELII, siue, quo adscito nomine sibi magis placebat, CHRISTIANI DEMOCRITI errores felici successu profligauit. 5) Ne vero neque commilitonibus meis, neque mihi deesset occasio aliquam Historiae & rei litterariae notitiam nobis comparandi, Venerandus hic Praeceptor noster singulos libros e suppelliçtile sua litteraria nobis in Collegio quodam peculiari inspiciendos exhibuit, & de cuiuslibet libri scriptore, argumento, aliisque memoratu dignis disseruit. (IV.) Porro ad incrementa in studiis academicis capienda egregie mihi profuit Summe Reuerendus atque Doctissimus DN. HERMANNVS CHRISTOPHORVS ENGELCKEN, SS. Theologiae Doctor ac Professor Publicus Ordinarius celebratissimus, & ad aedem Iohannis Pastor Vigilantissimus, iam ante septem annos ad coelestem vocatus Academiam. Pependi

di ab ore huius Praeceptoris mei dexterrimi, cum docuit Theolo-
giam Theticam atque Polemicam, cum explicauit & adnotamen-
tis illustrauit B. MARTINI CHLADENII *Institutiones Exegeticas*,
cum tradidit Historiam Ecclesiasticam, duce Cel. ADAMO RE-
CHENBERGIO in *Summario Historiae Ecclesiasticae*. (V.) Grata
quoque mente agnosco Summe Reuerendi atque Doctissimi DN.
IOANNIS IOACHIMI WEIDNERI, SS. Theologiae Doctoris &
Professoris Publici Ordinarii celeberrimi. & ad aedem Mariae Pa-
storis optime meriti, ac Rev. Ministerii Rostochiensis Directoris gra-
uissimi, iam anno MDCCXXXII. coelitum choris adsociati, singu-
larem in me fauorem, quem documentis vno pluribus expertus
sum. Ex huius Praeceptoris mei ore facundissimo in Collegiis
Examinatoriis & Disputatoriis non parum me profecisse, gratus
profiteor. (VI.) Nec silentio mihi praetermittendus est DN. M.
MATTHÆVS HENRICVS EGGERDES, ad aedem Spiritus San-
cti Pastor meritissimus, ὁ ὄν ἐν αἰγίοις, cuius solidam in Homileti-
cis manuuctionem grato etiam pectore agnosco. Operae pre-
tium esse existimaui, bona fide hic indicare, quibus in studiorum
meorum curriculo vsus sim ducibus, & quinam ipsorum labores
mihi potissimum profuerint. Hoc ipso enim Praeceptoribus meis
grati animi monumentum erigere, & ipsorum in me merita
publice praedicare constitui. Proximum est, vt ostendam, quae-
nam ex benignissimi NVMINIS voluntate in me collata sint be-
neficia, quae ad certum vitae genus viam mihi quodammodo
commonstrarunt. Hic silentio non est praetereundum, Amplif-
simam in hac Academia Facultatem Philosophicam, praeuio exa-
mine, die 8. Aprilis A. O. R. MDCCXXVI. mecum instituto, Deca-
no atque Brabeuta Viro Consultissimo, Excellentissimo atque Do-
ctissimo, DN. ERNESTO IOANNE FRIDERICO MANTZELIO,
Philosophiae ac Iuris Vtriusque Doctore & tunc Philosophiae Practi-
cae Professore Publico Ordinario famigeratissimo, hodie autem Pan-
dect. Professore Ducali Publico Ordinario, & SERENISSIMI DVCIS
REGNANTIS Cancellariae & Consistorii Consiliario Illustri, mihi
magisterii gradum & priuilegia die 26. Maii anni iam dicti contu-
lisse. Quo facto, ego quidem pro virium mearum modulo, partim
in linguarum studiis, partim in scientiis philosophicis discipulorum
animis inseruendi nullam praetermisi occasionem, Labores quo-

(b 2)

que

que meos ex benedictione diuina aliquid vtilitatis auditoribus meis adtulisse, & mihi quoque variis modis profuisse, mente agnosco humillima. Vltorius dum progredior pleno ore mihi laudanda est prouida DEI cura, quae documentis plane singularibus se mihi patefecit, cum Amplissimus atque Prudentissimus huius vrbs SENATVS, Academiae Rostochiensis COMPATRONVS Munificentissimus, anno MDCCXXXV. die 20. Maii mihi demandauit Professoris Metaphysices spartam, quam Vir Summe Reuerendus, Excellentissimus atque Doctissimus, DN. IOANNES CHRISTIANVS BVRCMANNVS, Philosophiae & SS. Theologiae Doctor huiusque Professor Publicus Ordinarius celeberrimus, ad aedem Spiritus Sancti Pastor meritissimus, Facultatis Theologicae iam Decanus Spectabilissimus, & h. t. MAGNIFICVS ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS PRO-RECTOR, tunc ad munus Professoris Theologiae vocatus, vacare fecerat. Hunc Amplissimi & Prudentissimi SENATVS Rostochiensis singularem in me fauorem vsque ad extremum vitae meae halitum me pectore gratissimo agniturem, & quauis occasione praedicaturum esse, hic publice profiteor. DEVS O.M. benedicat huic Collegio Splendidissimo, & sit beneficentissimus remunerator omnibus illis, qui commodis meis vniquam consuluerunt. Haec dum mecum perpendo non possum non gratissima mente hic etiam publice praedicare beneficia, quae lureconsultus Confumatissimus, Vir Per-Illustris, Excellentissimus atque Doctissimus, DN. D. IOANNES CHRISTIANVS PETERSEN, SERENISSIMI PRINCIPIS, DVCCIS ac DOMINI, DOMINI CHRISTIANI LVDOVICI, DVCCIS REGNANTIS MEGAPOLITANI, reliqua, Consiliarius Cancellariae intimus in me existere voluit, dum IPSE, tunc grauissimum CONSVLIS Rostochiensis officium egregie ornans, sua commendatione suoque fauore mihi maximo fuit adiumento. Quemadmodum itaque PER-ILLVSTREM hunc VIRVM, ceu fortunarum mearum Promotorem ac Patronum praecipuum, suspicio atque colo; ita ego quoque summum in coelis NVMEN supplex veneror, vt IPSI pro beneficiis, in me collatis, largiter benedicat, & Splendidissimam IPSIVS FAMILIAM felicitate coronet perpetua. Postquam vero, consentientibus Amplissimi SENATVS suffragiis docendi munus in hac Academia mihi fuit demandatum, a MAGNIFICO t. t. ACADEMIAE

MIÆ RECTORE, Viro Praenobilissimo, Excellentissimo atque Ex-
perientissimo, Dn GEORGIO CHRISTOPHORO DETHARDIN-
GIO, Philosophiae ac Medicinae Doctore, Anatomiae & Botanices,
vt & Mathematicum superiorum Professore Ducali Publico Ordini-
nario celebratissimo, die 7 Iulii, ad officium hocce academicum
introducetus, & spartam mihi concreditam auspicatus sum, habi-
ta oratione de *Metaphysica accusata quidem, sed culpa vacante*. De-
stinatus hoc pacto laboribus academicis maximam diei partem
docendo quotidie consumsi, & in primis in ea incubui studia,
quae ad officium meum pertinere existimaui. Occupatus
vero in lectionibus Philologicis & Philosophicis, semper tamen
mihi prima & antiquissima cura fuit, ex perpetuo virentibus The-
ologiae campis flores colligere suauissimos. Quo autem occasio-
nem nanciscerer, in scientia sanctiori aliquando vltiores faci-
endi progressus, Summe Reu. Facultas Theologica me, ea, qua
par est, animi obseruantia petentem, ad examina, quae rigorosa
vocari solent, beneuole admisit. Anno itaque MDCCXXXVIII.
die 11. Aprilis horis ante- & post-meridianis, Summe Reuerenda
Facultas Theologica, Decano Venerabili Dn. Consiliario AEPINO,
mecum instituit sueta examina. Exantlatis examinibus Vene-
randum Dnn. Theologorum Collegium mihi, in numerum Can-
didatorum Theologiae recepto, fecit quidem potestatem conscri-
bendi Dissertationem inauguralem; Quoniam autem tunc tem-
poris res meae non permittebant, vt summos in Theologia hono-
res capefferem: hinc etiam, aliis quippe negotiis occupatus, Di-
sputationem inauguralem in tempus, mihi magis opportunum,
differre constituebam. Nunc mihi quoque erit addendum, quo
modo interea temporis prouida DEI cura vltius mea tempera-
uerit fata. Quam vero iam antea praedicaui Amplissimi SENA-
TVS Rostochiensis beneuolentiam, eam nunc iterum grata mihi
repetendam esse memoria, intelligo. Cum enim anno
MDCCXXXVIII. Plurimum Reuerendus atque Doctissimus DN.
M. IOANNES BALTHASAR NIEHENCK, ad aedem D. Mariae
Diaconus optime meritis, beata morte ad DEVM vocatus esset,
ineunte anno subsequente Amplissimus atque Prudentissimus hu-
ius vrbs SENATVS suis decreuit suffragiis, vt ego cum duobus
aliis Candidatis laudatissimis ad electionem coetui Mariano prae-
sen-

(b 3)

sentarer. Declarata Amplissimi SENATVS voluntate, ego huius
nutui diuino morem gessi, & concione δοκιμαστικῇ. Dom. Septua-
gesima in 1 Cor. IX. v. 24. vsque ad Cap. X. v. 5. habita, ex suf-
fragiorum pluralitate Diaconus electus sum, id quod anno post
ἐνσάρκασι τοῦ λόγου MDCCLXXXIX. die 28. Ianuarii factum est.
Peractis iis, quae cum Candidatis Ministerii, vocationem adeptis,
peragi solent, & impetrata SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI CAROLI LEOPOLDI, tunc DVICIS REGNAN-
TIS MEGAPOLITANI, iam gloriosae memoriae PRINCIPIS, con-
firmatione clementissima, ego a Reuerendi Ministerii Rostochien-
sis Directore Venerabili, Viro Summe Reuerendo, Excellentissi-
mo atque Doctissimo, DN. M. PETRO BECKERO, Matheos
Professore Publico Ordinario Famigeratissimo, & ad aedem Iacobi
Pastore Vigilantissimo, tam Reu. Ministerii, quam Academiae to-
tius Seniore meritorum laude ornatissimo, praesentibus reliquis
Reu. Ministerii Adfessoribus Honoratissimis, anno iam memorato
MDCCLXXXIX. die 8 Aprilis piis precibus & benedictione publi-
ca ad officium sacrum inauguratus, & die 15. eiusdem mensis
publice introductus, concione auspicali, Dominica Iubilata habi-
ta, in nomine DEI TRINIVIVS officio sacro praeesse coepi.

In commemorando vitae meae curriculo etiam addenda
sunt publica specimina, typis expressa. Silentio autem praeter-
eo Programmata, quae vel meo, vel aliorum nomine a me sunt
consignata, Mentionem duntaxat facio Disputationum, quarum
ventilatio publica ad me quodam modo pertinuit.

Anno MDCCLXXII. die 3. Iunii, Praefide Summe Reu. DN. D.
HERMANNO CHRISTOPHORO ENGELKEN, ventilationi pu-
blicae exhibui *Pensum IV. Laborum Catechetico-Symbolicorum circa Ca-
techismum Lutheri, praesertim maiorem.*

Anno MDCCLXXX die 14. Octobris ad continuandas sollemp-
nitates, ob exhibitam ante duo saecula Augustanam Confessionem
Iubilaeas, Praefide Magnifico t. t. *Academiae Rectore*, Summe Reu.
DN. D. FRANCISCO ALBERTO AEPINO, Dissertationem The-
ologicam, proprio Marte a me elaboratam, *de Vsu Terminorum Ec-
clesiasticorum, e doctrina de Mysteriis diuinis non eliminando*, examini
publico exposui.

An-

Anno MDCCXXXIV. die 30. Ianuarii, me Praefide, Dissertationem Historico-Criticam *de Litteris atque Punctis in Scriptura V. T. Hebraicis*, placidae συζητήσεως subiecit Respondens IO. DANIEL LIVONIVS, Badendico-Megapolitanus.

Anno MDCCXXXVI. die 2. Iunii, me Praefide, Dissertationem Philosophicam, *Quaestionum Metaphysicarum bigas sistentem*, publicae ventilationi exposuit Auctor & Respondens IOANNES IOACHIMVS SPALDING, Tribes. Pomeranus.

Anno MDCCXXXIX. die 3. Ianuarii meo sub praesidio Dissertationem Criticam *de Origine atque Indole τῶν Keri & Chetibh*, publice tuitus est Auctor & Respondens DIETERICVS SAMVEL WOLFRADT, Rostochiensis.

Anno MDCCXLII. die 20. Iunii, me Praefide, Dissertationem Criticam *de Litteris, Vocalibus & Accentibus in Scriptura V. T. Hebraicis*, publico examini subiecit Auctor & Respondens ANDREAS CHRISTIANVS PETERSEN, Rostochiensis; iam ad aedem Iacobi Diaconus Vigilantissimus.


Haecenus mentionem feci eorum, quae ad studia mea & officia, quibus ex voluntate diuina praefectus sum, pertinent. Nunc quoque est dicendum, quo modo in rebus meis domesticis sanctissimam factorum diuinorum benignitatem in me sim expertus. Hic autem ea tantum commemorabo, quae ad coniugium meum respiciunt. Recte omnino calculum ponere mihi videntur, qui iudicant, illi fortem contigisse felicissimam, cui ex animi sententia cessere nuptiae. Hoc autem felicitatis genere omnis prosperitatis auctor, DEVS, me quoque beavit, id quod mente agnosco humillima. Cum enim publico ornatus essem officio, tori sociam mihi elegi Virginem Praenobilissimam & omni virtutum genere ornatissimam, CHRISTINAM CHARLOTTAM WOLFRADTEN, Viri Illustris, Excellentissimi atque Doctissimi, DN. DIETERICI SAMVELIS WOLFRADTI, (quem SERENISSIMVS DVX MEGAPOLITANVS, DN. FRIDERICVS WILHELMVS, immortalis memoriae PRINCEPS, Consiliarium Aulicum sibi quondam elegit) & DNAE ANNAE CATHARINAE BAYMANNAE filiam, anno MDCCXXXV. die 26. Octobris mediante benedictione sacerdotali mihi adiunctam. Hoc coniugium nostrum
viti

vti coniunctione animorum numquam interrupta nobis exoptatissimum est, ita etiam innumeris beneficiis a DEO exornatum. His merito adnumeretur carum coniugii pignus, filia mea vnica, CATHARINA MARGARETA CHARLOTTA, anno MDCCXXXVIII. die 17. Augusti in hanc vitae lucem edita, cuius educationem & salutem temporalem pariter ac aeternam DEO precibus commendo ardentissimis.

Haec ea sunt, quae de vitae meae cursu potissimum exponere volui. Multa tacitus praetereo. TVA vero, o benignissime DEVS, prouidentia, quae ab ipso aetatis meae principio clarissimis signis & significationibus mihi fuit declarata, facit, vt in laudes sanctissimi Nominis TVI totus diffluam. Minor sum, DOMINE, prae omnibus miserationibus & prae omni fide, quam praestitisti seruo tuo. Sis mihi etiam in posterum propitius, & omnia coepta mea ita dirige, vt in Nominis Tui gloriam, proximi vtilitatem, meamque qua corporis, qua animi salutem temporalem pariter ac aeternam vergant. Sic plena hilaritatis voce laudes tuas referam nunc & in saeculorum saecula. Amen.

Ex historica hac Vitæ Pl. Rev. Dn. Candidati nostri descriptione Cives nostri, sacrarum praecipue Literarum Studiosi colligere possunt, quid agendum iis sit, qui DEO & eius Ecclesiae, cum orbe literario, olim inservire propositum sibi habent, quiqve ad altius dignitatis ascendere fastigium nituntur. Habent etenim in Dn. Cand. vivum, quod imitentur, exemplum, quippe qui diligentia nunquam delassata, eam sibi comparavit eruditionem, qua prius quidem plures jam per annos praestitit, posterius autem mox consequuturus est, post publice ventilatam, more Majorum, Inauguralem, quam vocant, Disputationem. Quae quidem meo sub moderamine habenda, sicut & quicquid est negotii huius, opera mea totum expediendum fuisset; at annorum numero pressi, seniumque comitantibus infirmitatibus debilitati vices, qua est in immerentem me benevolentia, nullo non tempore summa, qua fieri potest, animi gratitudine deprædicanda, Magnificus h. Acad. Pro- Rector, Summe Rev. DN. BURGMANNUS, Theologus celebratissimus, Dn. Collega multis nominibus colendus, in se suscipiet, quicquid mearum foret partium, prompte dextreque peracturus. Unde nil aliud agendum mihi reliquum est, quam, ut in frontispicio Programmatis huius, unumquemque suis honorum Titulis, iam nominatos, ad actum hunc d. X. April. horis ante- ac pomeridianis solitis instituendum, atque Pl. R. Dn. Candidatum elaboratam ab ipso suam Inauguralem Dissertationem masculè defensurum, benigne audiendum, iterum invitè iterumque. Ut itaque honorifica sua praesentia Dn. Candidatum nostrum haud dedignentur, omnes eos singulosque, R. Facultatis meae meoque nomine, observantissime humanissimeque rogitò.

P. P. SUB SIGILLO FACULTATIS THEOLOGICÆ,
Domini. Palmar. d. 30. Mart. Anni MDCCXLIX.





1512LXXVII; et Ioh. Creighton in commentario,
 hic: *De Brief van den H. Apostel Iudas ontleedet en*
 arlemi 1512CCXVIII. Ex Pontificiis in eam com-
 : Augustinus de Quiros, societatis Iesu, in libro
 auorum 1512CCXXVIII secunda vice edito: Adamus
 ulgo Sasbouth, cuius *expositio epistolae Iudae* in operi-
 , Coloniae Agrippinae 1512LXXXVIII tertia vice
 is, exstat. Theoduli, Itali, *commentarium in Iudae*
 tum est bibliothecae Patrum, edit. Parisiis 1512CCX:
 ardentii commentarius in eandem exscriptus est
 ae Agrippinae 1512CCXV. Henricus Lancelotus,
 us, scripsit in epistolam Iudae *anatomiam Christiani*
 ntwerpiae 1512CCXXXIII: Franciscus Laurelotius
 CXII *exegetin in epistolam Iudae theologicam, catholicam*
 didit: Aegidius Radeus et ipse hoc in loco suum
 m foras dedit. est autem recusus Geneuae 1512CCXC:
 ofius Ansbertus, vt vulgo, vel Autpertus, Bene-
 lanationes in Iudae epistolam dedit Coloniae 1512CCXXX:
 olducius, Franciscanus, eam exposuit Parisiis 1512CCXX:
 Martinez Segunti 1512CCXXVIII, ac Raphael Maf-
 nemadmodum alii volunt, Masseus, *explanationem*
 ae suppeditauit Venetiis 1512CLXXVI. Inter Soci-
 entarium in hanc epistolam conscripsit Ioh. Ludo-
 enius, Baro Austriacus, qui in *bibliotheca vnita-*
 poli (quod est fictum nomen) 1512CLVI edita,
 in eadem reperitur etiam *fragmentum commentarii in*
 , cuius auctor est Ionas Schlichtingius a Buko-

Iudae epistola. Offert se mihi et aliud praefatio-
 um. Nuper enim, in locum placidissime defun-
 atis Consulis KLVSMANNI, suffectus est vir Con-
 BLECHEN. qui adhuc ita praeclare, vti de vni-
 uersa

